

di possit et Sacram Congregationem pro Clericis tempore opportuno certio-
riorem reddere de rationibus habitis et de exitu in singulis dioecesi-
bus sperando.

Antequam tamen definitivas normas impertiatur, haec Sacra Congregatio
singulas Conferentias Episcoporum denuo certiores faciet..

Haec dum Tecum communico, responsionem ad has praesentes litteras cum
fiducia expectans, omni quo par est obsequio permanere gaudeo

Eminentiae Tuae Reverendissimae

addictissimus in Domino

- P. PALAZZINI, a Secretis

J. Card. WRIGHT, Praef.

" MEMORANDUM" CIRCA LA VITA CONTEMPLATIVA E LA CLAUSURA DELLE MONACHE

*La Nunziatura Apostolica d'Italia, con lettera n.11/70 del 7.1.1970 ha
trasmesso per incarico della Sacra Congregazione per i Religiosi e gli Istiti
tuti Secolari, il seguente " memorandum", con preghiera di portarlo a co-
noscenza degli Ordinari e dei Monasteri d'Italia..*

*Al presente numero del " Notiziario" ne viene allegata copia perche',
eventualmente moltiplicata e magari tramite il Delegato diocesano per le
Religiose, possa pervenire ai Monasteri esistenti in Diocesi..*

Memorandum

Cum, post editam a Sacra Congregatione pro Religiosis et Institutis
Saecularibus Instructionem de vita contemplativa et de Monialium clausura
Venite seorsum, ab Episcopis, sacerdotibus et religiosis, dubia quaedam de
eiusdem Instructionis valore proposita fuerint, ad Monialium animos paci-
ficandos et Moniales ipsas in suo proposito firmandas, quae sequuntur com-
municanda opus esse videntur:

1.- Instructio *Venite seorsum*, iussu Pauli VI parata fuit, adiectaeque normae ab eodem Summo Pontifice, die 12 Iulii 1969, approbatae, ita ut eaedem normae ius vigens pro monialium Clausura constituent.

2.- Huiusmodi normae, optatis prae oculis habitis Monialium, statutae, iisdem Monialibus acceptissimae plerumque evaserunt, uti epistolis innumeris probari potest ad summum Pontificem et ad Sacram Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus toto ex orbe sponte et ultro missis.

3.- Monasteria non desunt quae petierint ut normae ad definitas locorum et temporum circumstantias accomodarentur. Huius optati ratio habebitur cum Constitutiones Sedi Apostolicae approbandas subiectae fuerint.

4.- Monasteria nonnulla - pauca profecto - obsistentem quoad clausuram animum in Instructionem patefecerunt. Huiusmodi Monasteria, omnibus mature perpensis, ex voluntate Summi Pontificis, ad aliud religiosae vitae genus adduci poterunt, primaeva sua canonica condicione clausurae papalis relicta.

Normae Instructioni *Venite seorsum* adiectae, a Summo Pontifice approbatae nullatenus facultatibus derogant motu proprio *Pastorale munus* concessis. Hae enim facultates iuxta expressam interpretationem ab eodem Summo Pontifice, in Audientia diei 7 Martii 1967, factam accipiendae sunt, scilicet: "1) Episcopi, iusta et gravi de causa Monialium ex clausura egressum permittere possunt, nullatenus vero imponere; 2) rationes ad egressum e clausura permittendum eaedem esse debent quae in Instructione "Inter cetera" n.24 A.A.S. 38 (1956), p. 515-517) proponuntur, hac una diversitate accedente quod vi eiusdem Instructionis ad Sanctam Sedem prius recurrendum erat, nunc vero illae exeundi permissiones ab Episcopis dari possunt". Quam interpretationem Summus Pontifex Paulus VI, die 13 Novembris 1969, in Audientia, iterum approbare et confirmare dignatus est.

Romae, die 2 Ianuarii 1970